



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Quinam Episcopi sint proprij ad conferendos ordines, & qui ob specialem prohibitionem certos quosdam ordines ordinate non possunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quamvis occultum sit, facit, aut crimen Sodomie commissum sit *c. inquisitionis 21. juncta Gloss. V. si homicidium. de accusatione.* vel juxta *Trident. sess. 14. c. 1. de reform.* expressè ipse etiam ob occultum crimen ascensus ad ulteriores Ordines prohibitus sit.

4. Arcentur à susceptione Ordinum omnes infames, sive juris (ob crimen scilicet cui à jure infamia annexa est) sive facti infamia (ob delictum scilicet grave admissum & publicè notum, per quod fama illius apud viros graves, & prudentes læditur) laborent, ita tamen, ut hæc facti infamia per publicam, & constantem vitæ emendationem tolli possit. Ex hac autem assertionem, uti & ex peculiaribus juribus plures ab Ordinibus impediri ostendit hæc *Auctor Methodi*, quæ tamen omnia non videntur observari.

§ IV.

De his qui ordinandi potestatem ordinariam habent.

Solis Episcopis consecratis jure proprio & ex vi sui officij, competit potestas, Ordines Ecclesiasticos conferendi, prout habetur ex *c. aqua 9. juncta Gloss. V. jurisdictionis de Consecrat. Eccles. & ex Trident. sess. 23. c. 4. & 7.* ita ut validè Ordines conferant Episcopi, etiam hæretici, schismatici, excommunicati, ab Ordine suspensi, degradati &c. modò formam Ecclesiæ terrent, & non sint publicè denunciati, si ob censuram sint impediti, quia omnibus his indelebilis ille Character competit, cui potestas hæc annexa est, neque hac potestate sua privati sunt ab Eccle-

fia; & ab illis Ordinatis Characterem Ordinis recipiunt, ut validè quidem Ordine suscepto uti possint, non tamen licitè, sed sint in perpetuum suspensi, nisi cum illis dispensetur. Non debet tamen ordinare Episcopus, nisi subditos suos, vel si alienos subditos ordinare velit, debet ad hoc habere specialem proprii Prælati, sive Episcopi, aut juris licentiam juxta *c. 2. & ult. h. t. in 6. & Trident. sess. 23. c. 8. de reform.* (ut ne scilicet jurisdictiones confundantur, nisi proprius Episcopus esset publicè ab Ordinum collatione suspensus ob collatos alieno subdito sine licentia proprii Episcopi Ordines, quo in casu ad viciniores Episcopos pro Ordinibus accipiendis excurrere potest suspensi hujus Episcopi subditus, etiam sine hujus licentiâ, ut in eo puniatur, in quo peccavit) juxta *c. 2. §. Clericis quoque h. t. in 6.* aut per triennium moraliter continuum, hujus alieni Episcopi, non tantùm titularis, sed qui actu Diocesis possidet, familiaris fuerit, cum hoc commoratus, & statim cum Ordinibus re ipsâ illi conferatur beneficium, ut habet *Trident. sess. 23. c. 9. de reform.*

§ V.

Quinam Episcopi sint proprii ad conferendos Ordines. & qui ob specialem prohibitionem certos quosdam ordinare non possunt?

EX triplice capite potest Episcopus esse proprius Episcopus, in ordine ad ordines ab eo suscipiendos, & originis scilicet, domicilii, aut beneficii, ut constat ex *c. cum nullus tertio h. t. in 6.* ita ut à quolibet horum sine alia licentiâ ordi-

nari

nati quis possit. Dicitur autem ratione originis subiectus aliquis ad hunc finem huic v. g. Episcopo, è cuius diœcesi est oriundus, non tantùm fortuitò, sed quòd parentes tunc temporis domicilium in tali diœcesi haberent, non enim illius, quod per accidens fit, sed quod per se, ratio habetur; quia etiam ad hunc ipsum finem ordinum suscipiendorum ab Episcopo originis, sufficit patrem ibi natum fuisse, si de filii originis loco non constet, vel si expositi fuerint, ab Episcopo loci, ubi expositi fuerunt; vel si nullius diœcesis sint, à viciniore Episcopo, quem semel ad hunc finem elegerunt. Ratione domicilii verò ad hunc finem Episcopo subiecti dicuntur, in cuius diœcesi sedem, seu domicilium, animo perpetuò ibi manendi, nisi quid occurrat, fixerunt, vel ipse ordinandus, si proprium domicilium, distinctum à paterno domicilio, habeat, vel ipsius parentes, si proprium domicilium non habeat ordinandus. Ratione beneficii denique proprius Episcopus in ordine ad hunc finem habetur, in cuius diœcesi beneficium aliquis obtinet, & possidet, licet manuale illud tantùm sit, aut tenue beneficium, & ordinandus non resideat, nec teneatur ratione beneficii talis resideat in illa diœcesi. Negari tamen non potest, quamvis de iure communi à quolibet horum ordines accipere possit aliquis, minores v. g. ordines ab Episcopo originis, Subdiaconatum & Diaconatum ab Episcopo domicilii, Presbyteratum ab Episcopo beneficii, quia per accidens evenire possit, ut ordinatus ab uno, ab alio ordinari non possit, sic ordinatus à Papa, à nullo inferiore ad altiores ordines pro-

moveri potest, sine licentia Pontificis, ob reverentiam scilicet summæ sedi debitam *c. cum in distribuendis 12. h. 2.* Sic Clerici Latini à Græcis Episcopis, & Græci Clerici à Latinis Episcopis, secundùm ritum & morem, cuius Ecclesiæ proprium, ordinari non debent, ut ne fiat rituum confusio *c. cum secundum h. 2.* Sic Episcopis Italiæ prohibitum est, ultra montanos ordinare sine licentia Papæ, vel litteris dimissorias propriis ordinariis ad multas fraudes cavendas *c. 1. h. 2. in 6.*

§. VI.

Quinam habeant potestatem extra ordinariam, aut delegatam conferendi ordines?

Non tantùm de iure antiquo, & speciali juris concessione, aut privilegio Pontificis, sed etiam de iure Tridentini novo, quod antiquum jus in quibusdam circa hanc materiam corrigit, posunt Prælati regulares, qui suas Prælaturas in titulum obtinent, si Sacerdotes sint, & benedicti (nisi tertio requisiti Episcopi benedicere eos noluerunt, *c. 1. de supplen. neg. Prælat.*) atque jus mitræ & baculi, seu pedi pastoralis habent; vel certe si benedicti non sint, usum tamen Pontificalium ex speciali Apostolico privilegio habeant, suis regularibus subditis, etiam novitiis primam tonsuram, & ordines minores conferre; & quamvis de iure antiquo major fuerit hæc Prælatum regularium potestas, etiam quoad sæculares, suæ jurisdictioni spiritali plenissimè subiectos se extendens, correctæ tamen est per Tridentinam hæc quoad sæculares tales facultas, & ad so-